



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. XI. De sigillo confessionis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

constupravit, dicat se commississe incestum cum A
consanguinea, eique vim intulisse, non expli-
cando circumstantiam personæ.

89. Inferes etiam ex dictis, non licere ad expli-
candum peccatum veniale, vel etiam mortale, ali-
as rite confessum, revelare in confessione pec-
catum complicitis: nam institutio & præceptum
confessionis, non obligat ad explicanda integrè
peccata venialia, aut mortalia, alias rite confessa.
Unde si soror venialiter peccasset in non satis
promptè resistendo violentiæ fratris, stuprum in-
ferre parantis, non liceret ei in confessione fra-
tris personam & crimen detegere, sed teneretur
circumstantiam personæ occultare, quia in eo casu
non haberet jus, ob integritatem suæ confessio-
nis, ad revelandum peccatum fratris, cum pecca-
ta venialia, eorumque circumstantiæ, non debe-
ant necessariò in confessione declarari.

90. Tertiò ex dictis colligitur, quod si quis sine
necessitate & causa rationabili, complicitis crimen
detexit Confessario, tenetur illi famam restituere,
si possit, quia peccavit contra justitiam; diffi-
cillimum tamen est in eo casu posse restituere; un-
de penitentes valde cauti & prudentes in con-
fessione esse debent, & diligenter cavere, ne sine
necessitate personam & peccatum complicitis
Confessario manifestent; in quò multi ex igno-
rantia vel inconsideratione sæpè delinquant, un-
de à Confessore monendi & instruendi sunt.

91. Ad complementum hujus disputationis scien-
dum est, præter casus supra explicatos, adhuc ef-
se duos in quibus penitens ab integritate con-
fessionis excusatur. Primus est, si Sacerdos ipse
qui confitetur, non potest suum peccatum ape-
rire, nisi violando sigillum confessionis, seu dete-
gendo peccatum penitentis sibi ante confessi.
Tunc enim hoc peccatum reticendum esse do-
cent communiter Theologi & Casuistæ; quia
nimirum Christus in favorem penitentis, voluit
Sacramentum penitentiae tam stricto sigillo
munire, ut sine penitentis consensu non possit
ulla de causa Confessarius uti notitiâ peccatorum
in confessione habitæ; unde licet integritas con-
fessionis sit de jure divino, sicut observatio sigil-
li confessionis, necessitas tamen servandi sigil-
lum, major est, quam necessitas integrè confi-
tendi.

Secundus est, quando penitens habet aliqua
peccata superiori reservata, nam tunc superior
potest, urgenti gravi aliqua causâ, auditis refer-
vatis, ab illis tantum penitentem absolvere, &
reliqua non reservanda inferiori Sacerdoti com-
mittere. Id tamen non potest sine urgenti cau-
sâ; quia cum integritas confessionis sit de jure
divino absque urgente & gravi aliqua causâ,
confessio dimidiari non debet. In eo autem casu
non tenetur penitens peccata reservata à qui-
bus à superiori absolutus est, rursus inferiori con-
fiteri, cum nulla sit obligatio bis confitendi ea
peccata à quibus penitens rite absolutus
est, nisi in casibus supra disp. 8.

art. 2. in fine expressis.

* *
*

DISPUTATIO XI

De Sigillo Confessionis.

Ad quest. 11. Supplementi.

Qua docet S. Thomas quest. 10. de
fectibus confessionis, penitentia
de effectibus penitentiae. Unde
hac prætermissa questione, quæ
sigillo confessionis quæst. 11. tract. breviter hic
exponenda sunt.

ARTICULUS PRIMUS

*Verum Confessarius in omni casu tenetur
servare sigillum confessionis?*

§. 1.

*Quibusdam præmissis, conclusio affirmativa
statuatur.*

Supponendum est ex D. Thom. hic art. 3. si
solum confessionis nihil aliud esse quam obli-
gationem quâ Confessarius astringitur ad servan-
dum secretum de iis rebus quæ audit in con-
fessione: hæc enim obligatio metaphorice sigil-
lum appellatur, quia sicut secreta sigillo obligati
solent, ne aliis palam fiant; ita arcana peccato-
rum Confessori concedita, perpetuâ silentio
ge, quasi sacro & inviolabili sigillo, obligati
debent, ne aliis revelentur.

Supponendum est secundo, explicari præ-
cepto Confessorem obligari ad servandum secretum
confessionis, naturali, divino, & humano. Na-
turali, quia est de jure naturæ servare communi
sibi alterius depositum, tueri famam proximi, &
non facere alteri, quod tibi fieri non vis. Divi-
no, quia confessio, quæ est juris divini, sine le-
ge non esset nimis odiosa, & consequenter impos-
sibilis moraliter; qui autem præcipit finem, cen-
tur etiam præcipere illa sine quibus conservari
finis nequit. Humano denique, quia Ecclesiæ
strictissime præcipit sigillum confessionis servari, &
penis gravissimis ejus violatores puniri, ut patet
ex canone Sacerdos de Penitentia dist. 4. ubi sta-
uitur adversus infractores hujus sigilli pena de-
positionis, & perpetuæ peregrinationis. Quia
tamen rarò sanctificantur, qui frequentè pe-
grinantur, ut communiter dicitur, in epistola.

E Omnis viri & quæ sexus statuatur eadem pena de-
positionis; & loco peregrinationis in claustris
tuta in monasterio arcto. Sic enim in eo dicitur.
Caveat autem omnino Sacerdos, ne verbo, aut signo,
aut aliquo quovis modo, aliquatenus proditor sit
sed si prudentiori consilio indiget, illud aliquo ul-
terius personæ cautè requirit; quoniam quædam
in penitentiali iudicio sibi detectam præsumptio-
nem velare, non solum à Sacerdotali officio deponendum
cernimus, verum etiam ad agendam perpetuam peni-
tentiam, in arctum monasterium detrahendum.

Ex his intelliges, quod licet ille qui deponit
rem depositam in loco sacro, vel in arcto pec-
cat non solum peccato furti, sed etiam peccato
sacrilegii, contra religionem & reverentiam loci

facri; ita & qui violat sigillum confessionis, non solum peccat contra jus naturale secreti, sed etiam contra religionem, & contra reverentiam debitam Sacramento. Unde triplex peccatum committit; primum detractionis, infamando proximum; secundum infidelitatis, non servando secretum; tertium sacrilegii, contra reverentiam Sacramenti, quod ultimum est semper mortale, cum alia duo ex levitate materiae possint esse venialia. His praemissis, pro resolutione difficultatis propositae.

Dico, tam strictam esse sigilli confessionis obligationem, ut nequidem in periculo boni communis, aut in quantacunque necessitate, liceat illud violare. In hac conclusione conveniunt omnes Theologi & Canonistae nemine excepto.

Probatur primò ex capite *Sacerdos*, supra citato, ubi dicitur quod Sacerdos non debet revelare secretum confessionis, pro quocunque scandalo vitando.

Probatur secundò ratione divi Thomae hic art. 1. Nunquam licet agere id quod est intrinsecè malum: Sed violare sigillum confessionis est intrinsecè malum: Ergo in nullo casu illud violare licet. Major patet, Minor probatur dupliciter. Primò, quia mentiri est intrinsecè malum: Sed revelare confessionem est mentiri; nam qui eam revelat, dicit ut homo se scire quod nescit ut homo, sed ut Deus, seu ut Dei vicarius: Ergo revelare confessionem est intrinsecè malum. Secundo, Agere contra significationem Sacramenti, est intrinsecè malum, est enim gravis injuria contra Sacramentum: Sed violare sigillum confessionis, est facere contra significationem Sacramenti: Ergo est intrinsecè malum. Major constat, Minor probatur, quia hoc Sacramentum significando gratiam, significat remissionem peccatorum, quae est ratio quare & occultatio quam facit Deus de peccatis, quae amplius non revelabuntur, neque in hoc saeculo, neque in futuro, ad confusionem poenitentis: Ergo revelare peccata in confessione explicata, in confusionem poenitentis, est agere contra significationem hujus Sacramenti.

Hanc rationem improbat Suarez: Tum quia (inquit) hac significatio non est essentialis Sacramento, Tum etiam, quia alias sequeretur, quod non posset Confessarius, etiam de licentia poenitentis, revelare confessionem.

Sed haec frivola sunt: Primum quidem, quia falsum est quod hac significatio non sit essentialis Sacramento; cum Sacramentum poenitentiae essentialiter significet gratiam remissionem peccatorum, per quam teguntur seu remittuntur peccata. Secundum verò, tum quia quando Confessarius de licentia poenitentis revelat confessionem, nulla fit injuria poenitenti, nec ullam poenitens inde confusionem percipit. Tum etiam, quia in eo casu poenitens dando licentiam Confessario ut sua peccata revelet, facit quod illud quod Sacerdos sciebat solum Deo, seu ut Dei vicarius, sciat etiam ut homo, & ut persona privata ut ait D. Thomas hic art. 4. Unde in eo casu Confessarius non violat sigillum confessionis, sed potius ipse poenitens illud solvit.

Probatur tertio conclusio ab inconvenienti. Si enim aliquando liceret sigillum confessionis violare, totaliter destrueretur Sacramentum poenitentiae; nam ubi scirent homines posse uno casu sua peccata confessa revelari, statim detererentur ab hoc salubri ac necessario medio, probabili-

liter suspicantes aliis etiam casibus similiter id licere; vel omnia sua peccata in confessione non declararent, eo quod non teneamur confiteri peccatum quod probabiliter suspicamur esse à Confessore revelandum: unde etiam si daretur casus quo liceret Confessori peccatum poenitentis revelare, id tamen nunquam habere posset effectum, quia in eo casu poenitens non teneretur suum peccatum confiteri. Ex quo intelliges, doctrinam oppositam, non solum esse perniciosam Sacramento, & destruetivam illius, sed etiam inutilem fini propter quem existimatur esse utilis, puta ad evitandum grave aliquod damnum reipublicae imminens: nemo enim volet confiteri peccata, quorum proditio timebitur; & ita nunquam ejusmodi mala poterunt impediri à prudentibus Confessariis, ut saepe impediuntur, dum inducunt poenitentes, ut à mala voluntate desistant.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò: Sicut secretum confessionis est de jure divino ita & ejus integritas, & tamen licitum est in aliquibus casibus, disputatione praecedenti recensitis, facere confessionem non integram: Ergo pariter licitum erit in aliquo casu revelare secretum confessionis.

Respondeo primò, non omnem integritatem confessionis esse de jure divino, sed eam duntaxat quae moraliter est in potentia poenitentis; unde ista semper obligat, nullusque potest assignari casus, in quo liceat poenitenti non facere confessionem formaliter integram; licet plures adduci possint, in quibus non tenetur facere confessionem materialiter integram.

Respondeo secundò, dato Antecedente, negando consequentiam & paritatem; licet enim illa duo praecepta sint de jure divino, praeceptum tamen de integritate est affirmativum, quod solum obligat quando & quomodo fuerit expediens; atque adeò quando in aliquo casu aliter expedire prudenter judicatur, licitum erit facere confessionem non integram. At praeceptum de secreto confessionis non revelando, est negativum, idèque semper obligat, & in omni casu, nullo prorsus excepto, ea est enim natura praeceptorum negativorum.

Obijcies secundò: Interdum revelatio confessionis necessaria est ad averendum grave aliquod malum aut periculum reipublicae imminens, puta ad impediendum ne aliqua haeres in Ecclesiam inducatur: Ergo in eo talem casu licitum erit revelare confessionem, praesertim cum bonum commune totius Ecclesiae, praferri debeat bono particulari ipsius poenitentis.

Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam. Tum quia revelatio secreti confessionis non est medium ordinatum ad succurrendum necessitatibus & periculis hominum. Tum etiam, quia quod est intrinsecè malum (sicut est violatio sigilli confessionis, ut supra ostensum est) nunquam potest assumi ut medium ad procurandum aliquod bonum, vel ad vitandum aliud malum; non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona, vel ut alia mala vitentur.

Addo quod cum Sacramentum poenitentiae institutum sit ut medium necessarium ad salutem universae Christianae Republicae, tantum abest quod violatio sigilli confessionis possit conduce-

re ad bonum & conservationem totius Ecclesiae, A
quin potius ex inviolabili huius arctissimi sigilli
observatione, ejus conservatio pendeat; nam, ut
suprà dicebamus, si aliquando liceret sigillum
confessionis violare, totaliter destrueretur pœni-
tentiae Sacramentum.

§. III.

Corollaria præcedentis doctrinae.

13. **EX** dictis inferitur primò, Confessarium Inter-
rogatum de peccatis quæ in confessione audi-
vit, posse etiam cum juramento, negare se ea sci-
re: tum quia in ea non scit ut homo, sed ut Deus,
sen ut Dei Vicarius: tum etiam, quia cum hæc in-
terrogatio non sit facta legitime & secundum or-
dinem juris, responsum illud verissimum est, quia
est propositio negativa de subiecto non suppo-
nente, ut rectè ait Petrus de Ledesma.

14. Inferitur secundo, non posse Confessarium ad
explicandum peccatum proprium in confessione,
revelare peccatum alterius in confessione audi-
tum; quia præceptum sigilli est arctius, quam
præceptum de integritate confessionis, cum ne-
quidem ad mortem vitandam liceat sigillum con-
fessionis violare, & præcepto integritatis con-
fessionis, multò minorè damna & pericula excu-
sent, ut constat ex dictis disputatione præceden-
tibus.

15. Inferitur tertio, non posse simul duò Confesso-
res, qui ambo simul pœnitentis peccata in con-
fessione audire, de iis, absque expressa licentia
confitentis, simul loqui, etiam ad finem dirigendi
illum ad salutem æternam; quia licet illa pec-
cata utrique Confessario cognita sint, ea tamen
educere extra iudicium Sacramentale, & inducere
in alium sermonem, est aliquatenus frangere
sigillum, & claustrum Sacramenti Pœnitentiae,
intra quod manere debet materia confessionis.
Ob eandem rationem, ne quidem apud ipsum
pœnitentem, licitum est Confessario loqui de
ejus confessione, extra Sacramentum, sine ejus
licitia & libero consensu. Imò neque potest
Sacerdos sine necessitate, peccata in priori con-
fessione audita pœnitenti exprobrare, cum plus
juris non habeat in materia præcedentis iudicii,
quam pœnitens obligationis ad aliquid repeten-
dum; unde debet peccata prius audita oblivioni
tradere, tanquam Dei Vicarius, qui Ezechiel. 18.
sic ait: Si impius egerit penitentiam, omnium iniqui-
tatum ejus non recordabor.

16. Inferitur quinto, non licere Sacerdoti facere
actionem aliquam, quæ ex natura sua sit expressi-
va peccati in confessione auditi; quia hoc esset
revelare confessionem, non verbo, sed facto; ei
tamen licitum esse exercere omnes illas actiones,
quæ de se sunt indifferentes ad significandum pec-
catum confessum aut non confessum, & possunt
etiam consideratis omnibus circumstantiis, fieri
ex aliis motivis. Ex quo intelliges, quòd si tres
homines v. g. fuissent machinati mortem Sacer-
dotis, putà præparando vinum toxicatum, ad
Missam celebrandam; & unus pœnitentià ductus
ei confiteretur, & aperiret paracas insidias, pos-
set Sacerdos in tali casu fugere, aut abstinere à
celebratione, fingendo aliquam infirmitatem re-
pentinam; quia cum hujusmodi actiones de se
indifferentes sint ad significandum peccatum
confessum aut non confessum, & possint, etiam
consideratis omnibus circumstantiis, ex aliis mo-

tivis fieri, ex illis nullo modo sequitur, etiam
indirectè, revelatio criminis.

Inferes quinto, non posse Prælatum in con-
fessionem habitam ad externam pœ-
nitionem, nec proinde ex tali pœnitentia
vere subditum ab officio ad nutum mutabilis, vel
in electione ei denegare suffragium ad officium
quo indignum esse ex confessione novit. Licet
enim non negem, hoc fortè & solo jure divino
& naturali non esse omnino prohibitum, quia
electio fit per vota secreta, nullaque potest
duci suspicio de revelatione confessionis, ut vi-
detur docere S. Doctor hic art. 24. q. 2. hu-
jus: Si aliquis per confessionem aliquem quem au-
dit, novit ipsum esse prælatus indignum, potest
denegare suffragium; quia ex multis aliis causis
dicitur quis indignus ad prælatus officium; quare
peccato, sicut ex defectu scientie, vel etate, vel alio-
rum hujusmodi: Nihilominus hoc jure Ecclesiasti-
co & positivo prohibitum est, decreto scilicet
Clementis VIII. an 1593. die 28. Maii, quo
prohibet superioribus ne ad regimine vacante
cognitione ex confessionibus delinquentium
rum hoc sit vel minijm pœnitenti incommo-
dum. & habeat vim occultæ reprehensionis cul-
parum quas in confessione aperit. Non prohi-
bentur tamen superiores per tale decretum, ad
abstinendum ab aliquibus actibus exterioribus
giminis, ex quibus rationabiliter non potest nobis
di confessio magis gravis & onerosa, quàm
est quòd superiores ex notitia quam habet per con-
fessionem, reddatur prudentior & caucior ad
regendum, ad impediendas peccata & occasiones
ad visitanda septa Monasterii, ne ulli peccato-
gressus furivus, & similia.

ARTICULUS II.

*Quæres cadant sub sigillo confessionis, & qui
per se ad illud servandum obligentur?*

QUANTUM ad primum, dicendum est, ma-
teriam in quam primò & directè cadit obli-
gatio sigilli, esse peccata omnia etiam venialia,
& circumstantias eorum; quia licet venialia
solutè non sit materia gravis, respectivè tamen
ad confessionem, censetur gravis, quia ex co-
pula revelatione confessio reddetur odiosa,
plerique enim nolunt etiam venialia que com-
mittunt, ab aliis sciri; & aliunde etiam pericu-
lum esset, ne ex imprudentia Confessarii, morta-
lia pro venialibus interdum degerentur. Est
tamen hæc differentia inter mortale & veniale,
quòd non potest Confessarius dicere sine reve-
latione sigilli, talè pœnitentem fuisse confessum
peccatum mortale in genere, bene tamen potest
testi asserere de veniali; quia omnis qui ad Sacra-
mentum accedit, debet habere materiam sufficien-
tem, non tamen necessariam.

Secundò sub sigillo confessionis cadunt delicta
etiam naturalium, inhabilitates naturales, imperfe-
ctiones personales, & irregularitates, etiam si
ne peccato contraria, quando hæc aliquo modo
sunt circumstantiæ peccatorum, vel ad ea expen-
denda necessaria. Unde non potest Episcopus Or-
dines publicè petenti denegare ei quem ex illa
confessione novit esse irregularem, aut Parochum
fœminam & virum in conjuges non copulans,
quos ex sola confessione novit ad conjugium esse
inhabiles. Item Confessarius non potest vitare

enim, quem novit ex sola confessione esse excommunicatum non toleratum, licet nullus alius, praeter ipsum penitentem, suspicari possit hoc fieri propter notitiam confessionis.

20. Tertiò sub sigillo confessionis cadunt non solum peccata penitentis, sed etiam peccata complices five socii criminis: eodem enim sigillo obligatur Confessarius ad servandum secretum circa ea omnia quae sunt necessaria ad integram confessionem, cum sigillum confessionis ad hoc praecipue ordinetur, ut penitens sine timore possit integre confiteri; unde cum manifestatio personae complices inter dum necessaria sit ad integritatem confessionis, eodem sigillo obligatur Confessarius ad servandum secretum circa peccatum complices, quo circa peccatum ipsius penitentis.

21. Dices, Obligatio ad sigillum non est nisi in favorem penitentis: Ergo non obligat ad secretum servandum, nisi de peccatis ipsius penitentis, non vero ad celanda peccata complices, praesertim cum iste nullum secretum Confessario commiserit.

Respondet obligatio nem ad sigillum primario quidem non esse nisi in favorem penitentis, secundario tamen & ex consequenti, & quadam veluti redundantia, esse in favorem complices. Nec obstat, quod iste nullum secretum commiserit Confessario; sufficit enim ad obligationem sigilli, quod ipse penitens peccatum complices simul cum proprio peccato, ei sub secreto confessionis commiserit.

22. Quantum ad secundum, nempe personas quae ad sigillum confessionis obligantur, dico breviter eos omnes obligari ad hoc sigillum, qui peccata ex confessione sacramentali didicerunt, five ea fuerit re ipsa sacramentalis, five ex morali exultatione penitentis, & intentione illius. Unde ad hoc sigillum primo tenetur Sacerdos, qui Confessionem sacramentalem excipit, licet interdum contingat Sacramentum non perfici, & absolutionem penitenti denegari. Secundo in Confessione quae fit per interpretem, ipse interpres obligatur ad sigillum, quia communicat cum Confessario in actu ipso sacramentalis Confessionis. Tertiò superior à quo petitur facultas absolventi ab aliquo reservato, tenetur ad sigillum, sicut & ille à quo, de licentia penitentis, consilium petit Confessarius. Quarto, quicumque peccata alterius, five casu five consulto audivit, dum illa in Confessione exponeret, quia non cognoscit sua nisi ex ipso actu Confessionis sacramentalis, obligatur ad sigillum, sicut & ille cui Sacerdos Confessionem sacramentalem revelavit: non tamen ille qui reperit chartam in qua scripta est Confessio penitentis, quia nondum peccata in charta scripta, Ecclesiae clavibus subiecta sunt; nam tunc peccata subiciuntur clavibus, cum Sacerdoti manifestantur. Quis sit, ut in ea charta contineatur aliquod facinus, vergens in grave damnum innocentis, vel Reipublicae, tenetur illud revelare, cum secretum naturale non obliget cum damno alterius, & multo minus cum damno boni publici. Si tamen charta jam tradita fuisset Confessario, & casu è manibus eius dilapsa, tunc qui illam reperiret, ad sigillum Confessionis teneretur, quia in eo casu, peccata in ea contenta, fuissent Confessario manifestata, & indeque subdita clavibus Ecclesiae.

23. Sunt aliqui qui existimant, ipsum quoque penitentem teneri obligatione sigilli circa illa quae in confessione audivit à Confessario. Sed haec sententia probabiliter caret, quia obligatio sigilli

Tom. V.

A est in favorem solius penitentis, non vero ipsius Confessarii; unde non est alia obligatio in penitente, quam secreti naturalis circa ea quae interest Confessario ut secreto serventur, & quae non possunt revelari sine aliquo ipsius praedicio.

Alii arbitrantur, hoc sigillo teneri eum cui aliquis peccatum aliquod detegit, ea conditione ut illud servet sub sigillo Confessionis, ut saepe fieri solet; eique sententiae favere videtur D. Thomas hic art. 2. ad 2. ubi sic ait: *Alique non debet de facili aliquid recipere hoc modo (id est sub sigillo Confessionis) si tamen recipiat, tenetur ex promissione hoc modo celare, ac si in Confessione haberet, quamvis sub sigillo Confessionis non habeat.*

B Probabilius tamen est, in eo non esse aliam obligationem, quam secreti naturalis, ad celandum tale peccatum; quia, ut supra dicebamus, obligatio sigilli supra ea duntaxat peccata cadit, quae clavibus Ecclesiae subiecta fuere, & Sacerdoti in Confessione sacramentali manifestata. Nec oppositum docet D. Thomas loco citato, sed solum vult quod ille qui secretum aliquod sub sigillo Confessionis recepit, titulo fidelitatis, ratione promissionis factae, jure naturae tenetur tale secretum cum eadem sollicitudine ac firmitate & renacitate servare, ac si illud in Confessione ei manifestatum fuisset, subindeque obligatione sigilli ad illud servandum teneretur.

C Antequam huic disputationi finem imponamus, & de absolutione sacramentali disseramus, placet hic subnectere aliqua quae SS. Patres in laudem Confessionis peccatorum scribunt, ut ad ejus praxim penitentium animos inducant. Augustinus in serm. de Pen. haec habet: *Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiarum, restauratrix virtutum, repugnatrix demonum, Quid plura? Obstruit os inferni, aperit portas paradisi Bernardus lib. de interiori Domino cap. 1. Homo per veritatem stimularis, peccata sua confitetur. Deus autem per misericordiam flexus, confitenti miseretur. Omnis namque spes veniae & misericordiae in Confessione est. &c. Felix conscientia in qua misericordia & veritas obviaverunt sibi. Veritas confitens, & misericordia miserentis, quia non potest illi misericordia esse quae agnoscit in veritate. Calixtus ad illud Psal. 95. Confessio & pulchritudo in conspectu ejus: Confessionem (inquit) bene sequitur pulchritudo, quia nemo potest esse speciosus, nisi qui Domini fuerit miseratione mundatus. Fedus nos peccata faciunt, sed penitentiae reddunt lavacra decoros: Et ideo mundissimam speciem ante Domini stare conspectum dicit, quae fuerit fidei Confessione purgata &c. In eundem sensum Glossa mystice interpretatur versum illum Psal. 113. Facta est Iudaea sanctificatio ejus, Iudaea quippe juxta Hebraei nominis usum, Confessione significatur, & propterea tunc Iudaea dicitur sanctificatio fieri, cum cor Confessione sanctificatur & purgatur. Atque ad eundem sensum pertinere vult quod statim subiungitur, Iordanis conversus est retrorsum. Verba ejus sunt: Iordanis rivus iudicii interpretatur: per hoc ergo significatur quod penitentia peccatorem facit reverri de iudicio condemnationis ad iudicium salvationis, &c. Item Beda ibidem haec scribit: Facta est Iudaea sanctificatio ejus, quia cor ejus confessio purgavit &c. Demum Gregorius Magnus homil. 18. super Ezechiel. cum vestibulum interius mysticae civitatis quam Propheta vidit interpretatur, sic ait: Quid per interius vestibulum nisi aeterna virtutis latitudo signatur? quae modo inter angustias vitae praesentis jam spemante concipitur. De qua per Isaiam dicitur Intrate portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confessionum: Cum enim peccata nostra per la-*

crimis confitemur, angusta vita portam ingredimur: Sed cum post hac ad aeternam vitam perducimur, portam nostram atriis in confessionum laudibus intramus, quia ibi iam angustia non erit, cum nos latitiae perpetuae felicitas exceperit.

DISPUTATIO XII.

De Absolutione Sacramentali.

Expeditis difficultatibus quae spectant ad confessionem sacramentalem, consequens est, ut de absolutione, quae est illius forma & complementum, disseramus, & celebres aliquas difficultates & controversias quae de ipsa agitari solent, breviter ac dilucide resolvamus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quae verba sint de essentia absolutionis sacramentalis, & formae sacramenti poenitentiae?

§. I.

Quibusdam praemissis, difficultas resolvitur.

Certum est apud omnes, verba antecedentia scilicet *Miserere tui &c. Dominus noster Iesus Christus absolvat te &c.* ac ista subsequencia, *Pater Domini nostri &c.* non esse de essentia absolutionis sacramentalis, nec ad valorem Sacramenti necessaria, licet preces illae utiles ac congruae sint, tum ad exorandam antecedenter divinam misericordiam, tum consequenter ut virtute clavium eleventur omnia opera bona poenitentis, ut illa ex meritis Christi operentur ultra proprium valorem. Unde Tridentinum sess. 14. cap. 3. ait, de Ecclesia sanctae more, preces illas laudabiliter adiungi. Solum ergo difficultas est circa ista verba: *Ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, quae a Florentino & Tridentino assignantur pro forma Sacramenti poenitentiae. Durandus enim existimat, omnia illa verba, nullo praetermissio, esse essentialia absolutioni sacramentali, & formae Sacramenti poenitentiae, vel saltem expressam Sanctissimae Trinitatis invocationem. Gabriel asserit, ista, *Absolvo te ab omnibus peccatis tuis*, esse de essentia; Paludanus & Petrus Soto, haec saltem, *Absolvo te a peccatis tuis*. In alio extremo Dominicus Soto in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. §. *Postremum tandem dubium*, sentire videtur, istud verbum, *Absolvo*, solitariè prolatum, ad valorem absolutionis sufficere, quatenus affirmat, in articulo mortis, in quo est periculum ne quis decedat absque beneficio absolutionis, posse Sacerdotem proferre illud verbum, *Absolvo*, animo absolvendi a peccatis, & censuris, & tunc valide absolvere. Demum S. Thomas, & alii Theologi communiter, asserunt formam absolutionis essentialiter salvari in illis verbis, *Ego te absolvo*, imò & in solis istis, *Absolvo te*, suppresso pronomine, *Ego*, utpote quod in verbo primae personae *absolvo*, subintelligitur; unde idem S. Doctor 3. p. qu. 66. art. 3. ad 1. docet illud ad valorem Baptismi non requiri.

2. Dico igitur, Haec sola verba, *Absolvo te*, esse essentialia absolutioni sacramentali, & ad valorem Sacramenti poenitentiae necessaria.

Probatur primò ratione fundamentali: Ea solum verba sunt de essentia formae absolutionis, quae principalem effectum Sacramenti poenitentiae significant: Sed sola ista verba, *Absolvo te*, hoc habent. Ergo illa sola sunt essentialia absolutioni

A sacramentali, & ad valorem Sacramenti poenitentiae necessaria. Major patet, quia effectus Sacramentorum novae legis est significare id quod in illis efficitur: Ergo ea tantum circumstantiae quae sufficient ad significandum effectum Sacramenti. Minor vero suadetur: Verbo quod ad significationem faciendam sunt ex circumstantiis, non habent adjunctas, & secundum quae ex contentu hominum institutione, determinatur ad significandum, ut patet in illa forma Baptismi corrupte prolata: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti*, quae ex declaratione Zachariae Papae, valida est, eo quod prolata in tribus circumstantiis, ex communium hominum institutione, determinatur ad significandum effectum Sacramenti. Atqui sola ista verba, *Absolvo te*, consideratis omnibus circumstantiis in quibus proferuntur, significant principalem effectum Sacramenti poenitentiae, nam licet in illis circumstantiis sint, ad significandum tam absolutionem à censuris quam à peccatis, prolata tamen significatione poenitentiae, qui sua peccata confitetur sacerdoti, determinatur ad significandum absolutionem à peccatis, quae est principalis effectus huius Sacramenti.

Probatur secundo conclusio, referendo ad effectus sententias supra adductas. Et in primis quod invocatio Sanctissimae Trinitatis non fit de essentia absolutionis sacramentalis, manifestum videtur, cum in institutione Sacramenti poenitentiae tantum dicatur, *Quorum remisit peccata, remittitur eis*, nec ulla fiat mentio divinarum personarum, sicut in institutione aut precepto Baptismi. Imò valde probabile est, omnem in forma absolutionis invocationem Trinitatis, nequaquam venialiter peccare, cum D. Thomas 3. p. qu. 4. art. 3. ad 3. dicat, *Relinquitur invocatio Trinitatis arbitrio Sacerdotis*, quod non diceret, si non posset Sacerdos sine culpa, saltem veniali, illam praeferre.

Secundo, quod non debeat necessario poni illa particula, *Omnibus*, constat, tum quia non ponitur in rituali Romano iussu Pauli V. citato, tum etiam, quia poenitens non potest absolvi a uno peccato mortali, quin absolvetur ab omnibus, & de venialibus saepe non fit absolutio, cum poenitens de illis non poeniteat, nec teneatur.

Tertio, quod ly *apeccatis*, non fit de essentia absolutionis, patet ex dictis probationibus praecedentibus, nam ut ibi dicebamus, hoc verbum *apeccatis*, sufficere, explicat, ratione circumstantiarum, absolutionem a peccatis, neque necesse est explicare materiam supra quam cadit absolutio sacramentalis, sicut in iudiciis humanis & civilibus. Non debet necessarium sententia exprimitur materiam iudicii: hoc enim ipso quod auditur rei accusatione, & tota causa, Iudex pronuntiat hunc esse innocentem vel reum, satis declarat mentem Iudicis.

Demum quod in solo verbo, *Absolvo*, non exprimitur sufficienter forma absolutionis, non minus certum videtur, cum in ea significati & exprimi debeat, absolutionem cadere super talem personam delinquentem, accusatam, convictam, poenitentem, & confessam talia singularia peccata; unde Christus Joan. 20. dixit, *Quorum remisit peccata &c.* ubi & personam delinquentem, peccata manifestata a poenitente praesentat. Ergo particula *te*, non minus est de essentia formae Sacramenti poenitentiae, quam in forma Sacramenti Baptismi, & Confirmationis.